



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

58.

63

N V P T I I S

DOCTISS.

VIRI, PIETATE, VIRTUTE,
& L.L. scientiâ præstantis Dn. M.
IOHANNIS ALDEN-
DORPII:

&

HONESTAE PVDICAEQVE
Virginis MARGARITAE
CRESSIAE NNouorum
SSpon.

C E L E B R A T I S
Halæ Saxonum

IV. Id. M. VIIbr.
Anno Iesu Christi
M. D. VIC.



An. Ch.
1456.
10. Sep.

Hvx decima Eo surgens Septembris ab ortu,
Leticiam thalami fert tibi, IAN E, nouam
Lux tulit hæc, seculo, lustris septem, & tribus annis
Lapsis, tristitiam Teutonis ora, tibi;
Tristitiam tulit ingentem: præstantibus ausis
Dum celebris IANVS Dux perit HVNNIADES;
Hunniades, pugnans patrijs pro arisq; focisq;
Germano arma abigens & Rhodopæa solo.
Hunniades, qui FVLMINEVS benè TERROR atrocis
Turcarum gentis nomine dictus erat.
Hunniades, sæuum Amuraten, Mahometen, & acer,
Pannoniâ tutâ, vincere qui potuit.
Hunniades, solersq; sagax, prudensq;, celerq;,
Qui cœptum & felix omne gerebat opus,
Hunniades, qui ceu Pelides murus Achiuis
Dicitur, Europæ murus ita alter erat.
Hunniades, Geticum melius quò nemo Tyrannum
Fregit, & imperij totius auxit opes.
Huius apud memores veteris non gratia facti
Stet; tam sacrum hodie nec celebretur opus?
Imò magis meminisse; sed & celebrare decebit,
Thracia quo sæuit plusq; sarissa furit.
Imò magis meminisse; sed & celebrare decebit,
Quo res nostra minus prodicione caret,
Hei dolor, heu pudor, ô auri furiosa cupido;
Teutonico indignum nomine, & orbe, scelus;
Corpora vel precio, precio tua, Christe, cruento,
Tot, Mahometigenâ tradere cæsa manus.
Non modò dignus erat, longis quem hastilibus actum,
Atq; ictum, miles vindice lege necet;
Sed rabidis distractus equis, sparsusq; per agros,
Qui fiat coruis esca peccata nigra

Hostibus

Hostibus aut reddat quem machina bellica amicis;
 Sulphureo volucres cum jactit igne globos.
 Crimina ne juvenes animis asuescite tanta,
 Vestra nec in patrios vertite tela lares.
 Quin properè dextris arma arma capessite promissis;
 Arma, quibus patrium floreat usque solum.
 Pro patrijs magnum decus est arisque focisque
 Vulnera per, pulcrum multa petisse necem.
 Arma quibus geritur studio res cuncta secundo;
 Consilium, auxilium, robore firma manus;
 Inde gerendarum conjuncta pecunia rerum
 Nervus, & hanc casta vota secuta prece.
 Suppetias quas ferre potest, ferat ergo libenter
 Quisque suo (prosit dum modo quisque) loco.
 Quilibet has sed ferre potest: PIA VOTA, PRECESQUE;
 Quilibet HIS patriæ seruiat ergo suæ.
 Præsidium est PRECIBVS castis non tutius ullum;
 Est via nam VOTIS inuia nulla pijs.
 Sed quia & orandum atque laborandum omnibus usque;
 Felix, qui ardenti jungit verumque fide.
 Ovtinam deuota fluant è pectore vota;
 Nunc nouus Imperio surgat & HVNNIADES;
 Res meliore loco staret Romana, decusque;
 Cresceret Imperij famaque lausque sacri.

AT dices: Quorsum hæc? Martine negocia tractas,
 Quando toris præses nempe Hymenæus adest?
 Et MEDIIS agitanda toris, quæcumque tororum
 Res saluant; & quæ cernis obesse toris.
 Coniugibus magis at quid confert, publica quam pax?
 Quid magis his, fera quam bella, nocere potest?
 Quo VASTATORE hoc Scythico truculentior alter
 Est nullus; magis HIC & metuendus erit,

A 2

Quoque

Quoq; magis metuendus erit; magis ore vocandus
Est in vota, IPSO vel thalamo, ipse DEVS.
Sunt bona coniugij totum benè nota per orbem;
Cuncta interuertunt castra cruenta Getæ.
Floreat omnis vt ergò Toro, atq; Foro vsq;, Choroq; ;
Perpetuò optatâ pace fruendo, precor.
Auspice, SPONSE, Deo thalami ceu foedus inisti;
Sic & foecundus, faustus, amœnus erit.

M. Christophorus Cæsar Scholæ
Halensis Rector

A L I V D.

FATA TORVM IVNGVNT, THALAMVM
PIA VOTA SECVDANT.

QVòd non præcipiti fiant connubia casu,
Sed moderante DEO: Pagina sacra docet.
Nam DEVS ignotam primæuo adducit Adamo,
Idem Euam ignoto conlociatq; viro.
Sic fato Abramides ad sanctas ducitur oras,
Eius in amplexus lectaq; virgo ruit.
Sic ardens Saram diuino Numine motus
Tobiades casto jungit amore sibi:
Sic & adhuc DEVS hinc Nuptam vocat, inde Maritum &
Quòd Sponse exemplo es testis & ipse tuo.
Qui Francorum, Halam ceu Fato attractus, ab oris,
Hic gaudes socij vincla subire tori,
Falleris & minimè: namq; hic tibi Sponsa reperta est,
Hanc tibi decreuit Margarin ipse DEVS.
O te felicem Sponsum, cui fidere fausto
Diues Virgo, pia & moribus aucta datur.
O te felicem Sponsam, cui Fata Maritum
Doctrinâ tribuunt & probitate grauem.

Ergò

Ergo Propitio junctis jam Numine Sponsis
 Gratulor, & votis jungo ego vota pijs.
 Non vos dira premant afflictæ incommoda vitæ,
 Absit & à vestro mœsta querela toro.
 At mala fors si dura ferat, Getico illa Latroni
 Eueniant, vendit qui polum & ære, Papæ.
 Ac veluti vitis gaudet tæcunda racemis,
 Et Dominum succo fertilior beat:
 Sic coniux faciat multâ te prole parentem
 Gaudia percipiant hinc Auus, hincq; pater,
 Et vestro obtingant thalamo prosperrima quæq;
 Vestra optat quicquid mens, id & ipse precor.
 Hoc votum breue, deuotâ sed mente profectum
 CHRISTE probes, magnum & pondus habere sinas.

M. Nicolaus Gerlach Halensis,
 Scholæ Patriæ collega
à Vtoyed'iasio

A L I V D:

Vis tua IANE jugo doctissime subdere colla
 Coniugij, & fausti pignora nosse thori.
 An sit id officium quæro, à te mentio cuius
 Facta, quod optasti hic? Scilicet illud idem.
 Te nunc ergo virum præsta, atq; fideliter isthæ
 Munus obi, vires experiare tuas:
MA R G A R I S ambrosijs vbi junxerit oscula malis,
 Et dabit amplexu colla fouenda tuo.
 Officium en tibi habes, tibi munus adeptus honestum,
 Quo poteris Sponsam Iura docere tuam.
 Nascatur similis tibi I A N V L V S ore, tuum qui
 Ingenium & mores cum pietate colat,

A ;

Nascatur

Nascatur similis MARGRETVLA bellula matris,
Quæ referat verè pectora casta suæ.
Nunc nunc formandæ præcepta salubria nuptæ
Tradito: nunc felix incipe jura tori,
Hæc tibi sit gemmis preciosior omnibus vna
MARGARIS, vna omnes hæc tibi vincat opes.
Quæ datur à Domino pia Sponsa, ea diuitis instar
Thesauri est, cunctis anteferenda bonis,
Mille voluptates, & gaudia dulcia mille
Vobis legitimo sint in amore, precor.
Feralis procul hinc semota Megæra facessat,
Sit procul hinc, placidis inuida rebus, Eris.
Omnia qui præsens sancisq; fouesq; sacro
Numine Rex regum CHRISTE vocate vent,
Sponsis præsto adsis, qui te duce & auspice juncti,
Et post hanc vitam transfer in ætheream,

M. Iohannes Latomus ibidem
Scholæ Collega.

! A L I V D.

QVòd duo corda jugo ceu sint connexa sub vno,
Coniugium à nexu creditur esse jugi.
Promta fides: Nam carne duos sic conjugat vna,
Non nisi mors pressum soluat vt atra jugum.
Verùm, ne collum imprudens hæc sub juga mittas,
Consilio atq; opus est, rem ratione geri.
Dulce jugum est, si fata illud propiora secudent:
Sin minus, heu nimium triste pudensq; jugum est.
Hinc illa est de non dextro querimonia fato:
Hinc dolet ad missos ille vel illa toros.
Ergò, qui facilis poscit consortia lecti,
Quæ, nullum pariant, post nocitura, malum;

Ille

Ille DEO sponsam sibi deligat auspice, primus
Primi hominis fuerat qui Paranympus Adæ.
Scilicet ille ut opes alias cornu vberis fundit;
Vxor ita ex donis illius apta venit,

HAc eadem cum, SPONSE, tibi sententia conker,
Felices thalamos auguror esse tuos.

Auguror, idq; jubes pietas tua, & æmula patris
Gloria, Cressiadum lausq; probata domus.
Addo decus SPONSAE, quam voce, nec amplius, vnâ
Vis celebrem? eximij MARGARIS est precij.
Credibile est igitur, superum quod numine fausto
Vos sub idem cogant foedera pacta jugum.
Et, quod triste jugum multis, quod pondus acerbum est,
Id tibi nec pondus, nec tibi triste jugum est.
Nam DEVS ingratum jussit mitescere pondus;
Tædarumq; , jugi tædia vicit, AMOR.
Hoc est naturæ seriem mutare: quid ultra
His cupias addi, SPONSE? quid ergo? nihil.

Sit satis: hæc thalamis verum tamen addere vestris
Vota libet, supero vota litanda patri:
Vos veluti torus vnus habet; sic vna voluntas,
Vnus amor, vos mens vniat vna duos.
SPONSE, tuum omen habet nomen; sis ergo IOHANNES;
SPONSA decens contra MARGARIS esse velit.
Illa, tibi, ut vitæ, sic sit socia optima sortis,
Fidâq; sub dubiâ conditione comes,
Imperijs parere tuis assuescat, & omnem
Impleat innocuo pignore foeta domum.
Si qua maritalem conturbent nubila vitam,
(Ecquis enim fieri talia posse neget?)

Cedat

Cedat Eris, succedat Eros, sopitaq; linguæ
Iurgia pacificus molliter abdat amor.
Hæc mea vota: meis votis DEVS annuat; & vos
Æternos faciat viuere in orbe dies.

M. Leonhartus Martini F.

TYPIS ACHATII LISCANI,
Anno 1794.



W 1996

8

ULB Halle 3
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

W 17

M





58.
3

N V P T I I S

DOCTISS.

VIRI, PIETATE, VIRTUTE,
& L.L. scientiâ præstantis Dn. M.
IOHANNIS ALDEN-
DORPII:

&

HONESTAE PVDICAEQVE
Virginis MARGARITAE
CRESSIAE NNouorum
SSpon.

C E L E B R A T I S
Halæ Saxonum

IV. Id. M. VIIbr.
Anno Iesu Christi
M. D. VIC.

